

† R. P. Franciscus Xav. Mair (1852-1933)

(Prov. Vindobonen.)

Cum ipse Spiritus Domini nos iubeat laudare viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua, iustum videtur celebrare virtutes et merita eorum, quos in Congregatione vitae integritas, magisterium diuturnum, munera prudens administratio et laudabiles reddidit et multorum velut parentes effecit. Talem habuimus virum in Provincia Austriaca, cuius memoria aere perennius cordibus nostris insculpta manebit, cuius

---

<sup>1</sup> Act. 15, 26.

nomen, licet haud ignotum aliarum Provinciarum confratribus, nunc tamen, postquam vitam pia morte clausit, omnium recordationi commendare iuvat, Reverendum Patrem Franciscum Xav. Mair.

Civica de stirpe ortus Franciscus noster Vipiteni (*Sterzing*) die 2 Decembris anno 1852 in lucem editus est. Crevit puer corpore menteque

sanus, et quam aptum ad altiora studia esset adolescentis ingenium, magistros non latuit. In gymnasium igitur ingressus cursum litterarum humaniorum octo annorum absolvit, examine, quod maturitatis vocant, probatus. Deinde in Seminarium maius dioecesis Brixinensis receptus theologiae studio quattuor annos impendit ac demum anno 1876 die 23 Iulii sacerdotio auctus est.

Temporis, quod alumnus in Seminario peregit, et eorum, quos ibi magistros habuit et praepositos, gratam semper et piam retinebat memoriam. Duorum maxime cum summa laude nomina celebrare consueverat: rectoris scilicet Seminarii, qui tunc fuit Rev. D. Simon Aichner, et professoris Zobel. Quantum uterque inter ceteros et scientia et dignitate sacerdotali eminuerint, posterior amborum ad munus episcopale elevatio et fama doc-



Quomodo inopinanti P. Francisco Mair photographus supervenerit.

trinae manifestavit. Horum vestigia secutus iuvenis cooperator in vineam Domini intravit et curae animarum labores suscepit, qui quam multi quamque difficiles fuerint, ex eo concludere licet, quod parochis tum aetate tum morbo tabescentibus coadiutor missus est. Oportebat igitur in schola parvulos catechizare, in ecclesia omnes obire sacras functiones, in cancellaria munus gerere actuarii, infirmos visitare ac moribundis assistere, quavis die dominica praedicare et cetera, quae sacerdoti animarum curam habenti obvenire possunt agenda. Quid mirum, si recens ordinatus necdum laboris pastoralis expertus sacerdos, cum die dominica fatigatus ambonem ascendit, ne somno corriperetur, alto clamore seipsum vigilem servare debuit? Immo, ut praedicando vocem iusto fortius elevaret, etiam parochus surdaster admonebat, qui nec tonantis verba satis percepit. Verum ita factum est, ut P. Mair per totam vitam praedicando vocem moderari vix potuerit. Licet enim leniter dicere coepisset, mox tamen, in sacrum actus

furorem, quidquid virium pectus habebat, vociferando edidit adeo, ut superpelliceum et stola sudore maderent et post sermonem tempore aestivo habitum color festivus stolae interdum superpelliceum tinxerit.

Sex annos hisce laboribus totis viribus intentus in dioecesi transegit. Zelus autem animarum, quo aestuabat, ordinario munere pastorali satiari non poterat. Missionarios Congregationis nostrae audierat praedicantes, et quo successu in vinea Domini laborarent, ipse perspexerat. Hanc igitur apostolicam vivendi operandique rationem primum admiratus, mox eiusdem vocationis desiderio capiebatur, quod piis orationibus nutritum adeo denique animum eius incendit, ut inter spiritualia exercitia, quibus operam dedit anno 1882, superno lumine illustratus revera se vocatum crederet. Motum itaque gratiae vocantis secutus sine mora saeculo relicto in Congregationem transire statuit. Et sane quidem a Superioribus Congregationis cum peteret, ut admitteretur, facile impetravit; Episcopus vero, qui Franciscum nostrum pro optimo habebat sacerdote, aegre eum dimisit, ne divinae voluntati, ut aiebat, resisteret, et Congregationi, quod talem reciperet sodalem, gratulatus est.

Die festo S. Teresiae anno 1882 veste religiosa indutus octo tantum mensium noviciatu absoluto vota professus est die 17 Iunii anno 1883. Praefuit tunc temporis Provinciae Austriacae clarissimus ille optimeque meritus P. Andreas Hamerle, qui novelli confratris et ingenium et virtutem perspexit eumque statim adhibere decrevit in opere quod suscepserat, scilicet Provinciae ad statum magis floridum vegetumque promovendae. Qua de causa P. Mair non ad missiones praedicandas, uti speraverat et desideraverat, sed ad studia altiora in universitate Vindobonensi obeunda destinatus est, ut Doctoris in theologia gradum ascenderet ac postea Lectoris munere in studentatu fungeretur usque ad extremam fere aetatem. Primum hoc sacrificium propriae voluntatis ex toto corde quidem obtulit, sed quam durum ipsi fuerit missionibus relictis in scholam se recipere, collegae ex eius ore saepius audierunt. Publicis lectionibus in Universitate per unum tantum annum interfuit ad linguas orientales addiscendas, ad examina vero rigorosa inter labores lectoratus et magisterii novitiorum (1887–1890) se debuit praeparare. Tandem lauream in theologia adeptus die 15 Februarii a. 1890, a Superiori Provinciali studentatui praefectus est, quod quidem munus cum lectoratu per 17 annos integros (1890–1907) retinuit.

Anno 1907 Rector domus Mauternensis renunciatus paterna caritate, quam tot annos clericis studentibus exhibuerat, totam familiam religiosam, quam gubernandam suscepserat, amplexus est. Biennio transacto, cum novus Superior Generalis in Capitulo generali electus novos etiam Provinciarum atque domorum Superiores creasset, P. Mair in munere Rectoris denuo confirmatus est, suamque domum eo observantiae regularis zelo gubernavit,

quem in ipso subditi omnes semper admirati sunt. Qua de causa haud parvus nos perculit stupor, cum in litteris annalibus Provinciae legeremus, exacto triennio alium in locum Patris Mair suffectum esse Rectorem, qui delapsam huius domus observantiam restitueret. Licet enim in P. Mair defuerit certa quaedam tenacitas et parsimonia in administranda re pecunaria, quia pauperibus nimia forsan liberalitate succurrebat, attamen, quod disciplinam regularem attinet, nemo est, qui affirmaverit Rectorem unquam admonendi, corrigendi, vigilandi officium neglexisse.

Haec igitur publice prolata suspicio vel accusatio satis graviter Patrem Mair humiliavit eiusque cordi spinam infixit, cuius dolorem patienter quidem tolerabat, extingue autem usque ad extremam aetatem non poterat. A confratribus Provinciae a. 1921 peculiare signum fiduciae recepit, missus Vocalis ad Capitulum generale.

† P. Mair in pace requiescens.



Rectoris munere deposito, iam senex, adhuc triennio studentibus praefectus est, postea vero nonnisi Consultoris et Admonitoris officio fungebatur, usquedum defectus virium, oculorum debilitas, morborum frequentia otium bene merito seni imponerent; quo sane cum honore usus est, postquam et pulpito praedicatoris et cathedrae Lectoris vale dixit. Scribere enim epistolas consilia potentibus, animas vel e longinquo dirigere, componendis opusculis spiritualibus operam dare, confratrum et populi confessiones audire nunquam desit. Immo proxima mortis causa fuisse videtur labor improbus, quem in confessionali die festo omnium Sanctorum et sequente die commemorationis omnium defunctorum sustinuit cum acerbissimo frigore. Nam ab illo die vires eum tam celeriter deficere coeperunt, ut vita ad finem vergere clare videretur et ipse mox ultimis s. sacramentis muniri vellet. Vacillabat deinde per tres hebdomades mortem inter et vitam, spectaculum factus patientiae, donec vigore naturae consumpto extinctus est. Tamquam bonus miles Christi, copioso licet sudore effuso, fortiter gra-

viterque luctans, sine intermissione orando spiritum exhalavit in osculo pacis aeternae d. 20 Nov. 1933. Corpus autem emortuum vultu blandius quam in vita composito non terrorem incussit, sed cum admiratione reverentiam, ac multorum quibus sive in spiritualibus sive in temporalibus olim pater fuerat aut benefactor lacrimas elicuit.

Ad funeris sollemnia ipse Superior Provincialis eum aliis aliunde confratribus Mauternam venerunt, ut nobiscum eum, qui nobis fuerat dux ad sacerdotium et vitam perfectionis verbo et exemplo praeceptor, ad sepulcrum comitarentur, unde eum gloriosum resurrecturum speramus.

Nunc vero, quae virtutes, quae clare gesta vitam defuncti ornaverint, breviter saltem enarrare invat. Non tristem natura, sed potius hilarem animam adeptus, iam a puero spiritu solidae pietatis imbutus esse videbatur. Emicabat enim in eo orationis fervor singularis, quo illud Domini praeceptum: *Oportet semper orare et nunquam desicere*, observare studebat. Summo mane, cum expergefactus per domum gradiebatnr, preces iaculatorias murmurantem vel ex imo pectore gementem audiebamus, nec quis facile eum obvium habebat nisi orantem et intus devote conversum. Praeter longam rosarii coronam, quam e latere pendentem portamus, P. Mair aliam breviorem digitis saepe innexam habebat, qua ambulando utebatur et tardam mentem ad actus pios eliciendos excitabat. Dum orationi vel meditationi operam dabat, devotissimns habitus exterior profundam animi recollectionem indicabat; ad altare autem sacerdotali munere fungens mysteriis sanctis totus videbatur immersus. Memoriam Dei ubique semperque praesentis quantum poterat continuam mente retinebat, nihilominus tamen se nimis esse dissipatum querebatur, et ante mortem gemens in verba prorupit: «Parum in vita oravi!» Ceterum quod primo aspectu quisque videbat, hoc omnium eorum qui multos annos cum eo sub eodem techo vivebant, unanimi testimonio confirmatur, Patrem Mair fuisse hominem spiritualem, vere religiosum.

Hunc igitur virum Superiores mox ad educandam iuventutem religiosam adsciverunt. Quarto post professionem anno satis recens ad magisterium novitiorum accessit et primo fervore incensus iusto forsan pressius antiquorum patrum deserti vestigia secutus est. Nam alumnis interdum mortificationes imposuit, quae iudicii quidem et propriae voluntatis sacrificium exposcerent, sed etiam horrorem naturae incuterent, v. g. si novitium limacem exosculari iussit. Verum fidelissima regularum observantia omniumque virtutum ingi exercitio formam et exemplum vitae religiosae in seipso novitiis imitandum proposuit.

Post tres annos in magisterio novitiorum transactos, cum clericos studentes in collegio Mauternensi dirigendos suscepisset, id quod in novitiatu cooperat aedificare, nunc ad finem perducere studebat, illud nempe Regulae praeceptum semper prae oculis habens, ut studentes *soli Deo et*

*studiis* vacarent. Sciebat sane quantopere futuris missionariis necessarius esset in scientiis progressus, at maioris adhuc momenti esse, ut ad omne genus virtutum et instruerentur solide et exercitarentur, penitus ei persuasum erat. Hinc saepissime repetita adhortatio: « Fratres, oportet nos ducere vitam spiritualem! » Hinc eius in exponenda doctrina ascetica indefessus labor et sagacissima plerunque inventio humiliandi studentes vel mortificandi. Tum vero maxime paterna eius sollicitudo emicabat, cum ad ordines sacros recipiendos debebat praeparare alumnos. Sacerdotalis enim munieris dignitatem fide edoctus tanti aestimabat, ut ultimo ante ordinationem anno, praesertim autem in exercitiis, quae eam praecedere solent, insolita eloquentia et excellentiam sacerdotii nobis demonstraret et cum timore ac tremore indicaret, quam de hoc munere aliquando reddituri essemus rationem. Nam et ipse post longam annorum seriem cum tristitia confessus est melius fuisse, si aliquibus manus presbyterii nunquam impositae fuissent.

Amorem erga studentes vere paternum in corde gerebat. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus bene sciebat. Hilaritatem iuvenilem, risum et iocos non reprimere, sed potius intra modestiae clericalis fines exercere studebat. Tempore feriarum summa montium cacumina cum studentibus ascendere non abhorrebat et a Superioribus solacium quoddam pro ipsis libenter expetebat. Infirmis autem materna caritate assistebat, frequens ad lectum, in consolandis eis et recreandis infatigabilis. Intra septendecim annos, quibus P. Mair studentibus praefuit, eorum complures praematura morte rapti sunt, nemo tamen improvisus ex hac vita migravit. Nonnullorum prae ceteris transitus adeo fuit pius et sanctus, ut ex ulnis Praefecti in coelum volasse crederentur et omnibus nobis ab ipso Praefecto eximiae virtutis exemplaria proponerentur. Dulcissimo hoc solacio Deus lenire videbatur Praefecti dolorem, quem de infidelitate quorundam conceperat, quos e domo Dei ne in mundum redirent impedire non poterat.

In schola P. Mair per quadraginta circiter annos theologiam moralem et pastoralem docebat; magnus itaque missionariorum numerus ab eo instructus ad proelia Domini gerenda exivit. Ipsi quidem ut Praefecto et Lectori raro extra domum laborare licuit, immo ob rationem supra indicatam periculosem fuisse, sed per discipulos certe plus operatus est in vinea Domini quam solus ipse facere potuisset. Paucis missionibus interfuit, exercitia spiritualia tamen saepius direxit. Apostolatum calami interdum exercuit, scriptoris vero egregii famam nec adeptus est nec facile adipisci potuit, quia veritatem sermonis quam ornatum malebat, libros autem polite scriptos legere non solebat; qua de causa stylus eius prolixus, figurae haud raro ineptaes aut usque ad nauseam exenteratae.

Inter defuncti virtutes certe animarum zelus omnes et intra domum et extra admiratione affectit. Dum enim vires suppeditabant, non altitudo

montium, non asperitas vel longinquitas viarum prohibere eum poterant, quin etiam inter tenebras et tempestates ad infirmos vel moribundos prompto cursu festinaret. Unde factum est, ut prae ceteris P. Mair quavis sive diei sive noctis hora vocaretur, si quid gravius alicui acciderat. Igitur Mauternae vix una domus est, quam P. Mair sacerdotali fungens munere non intraverit. Recordamur nos qui eo Praefecto studuimus, quando nobiscum deambulatum ibat, saepe ipsum infirmos visitasse, obviam venientibus cum salutatione unum alterumve verbum consolationis vel adhortationis dedisse. Omnibus familiis adeo amicus erat, ut parvuli quemcumque sacerdotem «Patrem Mair» clamarent et ad manus eius osculandas undique concurrerent. Quanti vero ab omnibus aestimaretur, quam omnibus carus esset, ad sepulcrum profusae lacrimae et sincera multorum condolentium verba manifestarunt.

Fidelis vocationi suae mortuus in sinu Congregationis P. Mair ad eos pertinet confratres defunctos, quorum memoria in benedictione est et erit semper. R. I. P.